DECRETA CONCILII PROVINCIALIS.

OREGONENSIS I.*

Sancti Pauli habiti diebus 28-29 Februarii et 1 Martii 1848.

De Rituali.

I. Visum est Patribus a Rituali Romano nullo modo recedendum; ideoque omnibus in hac Provincia presbyteris animarum curam habentibus præcipimus ut omnia, quæ ibi continentur, serio et sæpe considerent et in praxim perducant. Explanationes vero circa sacramentorum administrationem, quæ in initio cujusque capitis habentur, utpote sapientissime editas et cœlesti quadam unctione conceptas, ut sedulo perlegant vehementer in Domino cohortamur.

II. Verum cum forma brevior ad baptismalem aquam benedicendam, ad usum missionariorum regionem peragrantium, valde desideretur; et insuper pro hujus regionis circumstantiis Anglica lingua uti necesse sit, visum est a S. Sede petere facultatem adoptandi Rituale quod, ex commissione Concilii Baltimorensis IV., concinnatum fuit, et ab ipsa S. Sede approbatum.

De Festis.

III. Hæc sunt festa quæ de præcepto ab omnibus Christi fidelibus sunt observanda: Nativitas D. N. J. C. Circumcisio D. N. J. C. Epiphania D. N. J. C. Annuntiatio B. V. M. Ascensio D. N. J. C. Corpus Christi. SS. Ap. Petri et Pauli. Omnium Sanctorum. Assumptio B. V. M. Conceptio B. V. M.

De Solemnitatibus.

IV. Cum festa Purificationis B. M. et Nativitatis S. Joannis Baptistæ stato die celebrari nequeant ob hujus regionis

---

* Ex Archivo S. Congregationis de Propaganda Fide.

peculiares rationes, Præsules censuerunt a S. Sede supplici libello impetrare ut eorum solemnitas in diem dominicam proxime sequentem transferatur.

De Feriis secundis Paschatis et Pentecostes, etc.

V. Cum ab hisce annis feria secunda post Dominicam Paschatis et Pentecostes, necnon festum S. Stephani, protomart., justis ex rationibus in hac regione nonnisi ex devotione celebrantur, Præsulibus visum est a S. Rom. Sede omnimodam dispensationem petere a quacumque eorum festorum publica et solemni celebratione. *S. Sedes* [. . . .] *quam eam ad dominicam sequentem transferendam.*

De Patrono, vel Titulo.

VI. Statutum est ut Solemnitas Patroni vel Tituli uniuscujusque ecclesiæ in Dominicam subsequentem transferatur.

De Officiis.

VII. Cum Synodi Patribus summopere cordi sit cultum promovere erga sacrosancta Christi Domini mysteria, et Beatiss. Virginem Mariam, necnon et quosdam peculiares Sanctos qui in Brevario Romano non reperiuntur, omnes unanimiter censuere sequentia officia a S. Rom. Sede implorare, videlicet:

1 Feria 6. post Dom. Septuag., Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti. d. m.
2 Feria 6. post Dom. Sexag., Commemoratio Passionis D. N. J. C. d. m.
3 Feria 6. post Dom. Quinquag., Sacræ Spineæ Coronæ. d. m.
4 Feria 6. post Dom. I. Quadrag., Lanceæ et Clavorum. d. m.
5 Feria 6. post Dom. II. Quadrag., Sacræ Sindonis. d. m.
6 Feria 6. post Dom. III. Quadrag., Sacr. 5 Plagarum. d. m.

7 Feria 6. post Dom. IV. Quadrag., Pretiosissimi Sanguinis. d. m.

23 Januarii Desponsationis B. V. M. d. m.

18 Martii S. Gabrielis, Arch. d. m.

22 Maii S. Joann Nepomuceni, Mart. dup.

24 Maii, B. M. V. titulo Auxilium Christianorum. d. m.

16 Junii, S. Joann, Fr. Regis, Conf. dup.

18 Augusti, S. Philomenæ V. M. dup.

24 Octobris, S. Raphaelis, Arch. d. m.

14 Novembris, S. Stanislai Kotskæ, Conf. dup.

27 Novembris, S. Irenæi, M. dup.

18 Dec., Expectationis Partus B. V. M. d. m.

Dominica III. post Pascha, Patrocinii S. Josephi. d. 2. cl.

Feria 6. post Oct. Corp. Christi, SS. Cordis Jesu. d. 1. cl.

Dom. post Octav. Assumpt. B. V. M., Sanctissimi Cordis Mariæ. d. 1. cl.

Dom. 2. Octob., Maternitatis B. V. M. d. m.

Dom. 3. Oct., Puritatis B. V. M. d. m.

Dom. 2. Nov., Patrocinii B. V. M. d. m.

19 Martii, S. Joseph, totius regionis Patroni I. d. 1. cl.

3 Decemb., S. Fr. Xaverii, tot. reg. Patroni II. d. 1. cl. cum octav.

Qualibet feria V. non impedita, Offic. de SS. Sacramento. semid.

Quolibet Sabbato non imped., Offic. Concept. B. V. M. semid.

De Jejunio.

VIII. Hæc sunt jejunia ab omnibus de præcepto observanda.

1 Omnibus diebus quadragesimalibus, dominicis exceptis, et Quatuor Temporibus.

2 Pervigiliis Pentecostes, SS. Petri et Pauli, Assumptionis B. V. M., Omnium Sanctorum, et Nativitatis D. N. J. C.

3 Feria VI. infra hebdomades Adventus.

De Benedictione cum SS. Sacramento.

IX. Cum in Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti Institutione omnes Cordis sui divitias Christus Dominus velut effuderit, nobisque sui amoris certissimum pignus dederit, ideo omnibus qui alicujus ecclesiæ curam gerunt permittimus ut alternis dominicis omnibusque festis diebus I. et II. cl. Benedictionem cum Venerabili Sacramento populo impertiantur.

De Devotione erga SS. Cor Jesu.

X. Omnibus hujus Provinciæ presbyteris vehementer commendatam volumus dulcissimam illam ac maxime salutarem devotionem erga SS. Cor Jesu quod novissime Pientissimus Deus, hominum miseriis commotus, velut cœlestem fontem patefecit, ex quo saluberrimas aquas non modo nobis, sed etiam animabus quarum curam gerimus, derivare poterimus. Quocirca unusquisque studeat hanc devotionem non modo in se fovere, sed et aliis opportune et importune, omni arrepta occasione, insinuare et excolere innitatur, sibique unusquisque persuasum habeat eo uberius fructus in sacro ministerio se esse percepturum quo ferventiorem in hac devotione sese præstiterit.

De Devotione erga Cor Imm. V. M.

XI. Non minori studio omnes cohortamur in Domino ut cultum erga Imm. M. Virginis Cor foveant promoveantque, præsertim ut qui peccati catenis detinentur tandem aliquando libertatem filiorum Dei adipisci queant.

De Habitu Ecclesiastico.

XII. Cum a canonibus, præsertim a Sacra Tridentina Synodo, optime provisum fuerit, ut qui altari inserviunt a reliquis discernantur non moribus tantum, sed et habitibus, omnibus ecclesiasticis in respectivis diœcesibus commorantibus præcipimus ut nonnisi veste talari incedant. Quod si temporum vel locorum circumstantiæ id vetent, eas adhibeant vestes

quæ viros ecclesiasticos deceant, scilicet, quæ nigri coloris sint et ad dimidiam usque tibiam descendant et bene claudantur.

De Symbolico-Historica Tabula.

XIII. Cum res quæ visu percipiuntur profundius in animis defigantur quam quæ auditu, operæ pretium erit si omnes qui christianæ doctrinæ tradendæ præfecti sunt, præsertim inter sylvestres Indos, symbolico-historicam Tabulam (Echelle Catholique) illam adhibeant quæ anno 1839, divino velut instinctu a primis hujus regionis missionariis, magno animarum proventu, excogitata fuit.

Ad Clerum.

XIV. Antequam huic Concilio finem imponamus, non inopportunum judicamus animi nostri sensus vobis aperire, quotquot estis presbyteri, quos Divina Providentia ut adjutores nobis concessit in ministerio salutis. Videte igitur, dilectissimi, vocationem vestram qua ad opus adeo grande vocati estis, nimirum ad animarum salutem comparandam; et *memores estote arrepti propositi*, ne deficiatis in via. Circumspicite uberem messem quam Deus colligendam vobis in pervasta hac regione paravit, et vires animasque vestras colligite ut, quantum per vos est, ne ulla quidem spica extra manipulos maneat, igne deinde comburenda. Solemne illud ac pervulgatum Dionysii Areopagitæ in mentem sæpe revocate: "Omnium divinorum divinissimum cooperari Deo in salutem animarum,"* circa ministerii nostri sublimem dignitatem. Quod si ejusdem pergrandem utilitatem quæritis, ex Danielis verbis accipite: "Qui ad justitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates." † Verum enimvero, ne nostris viribus confisi in inanem et perniciosissimam animi elationem incidamus, et ut in aliis curandis nosmetipsos haud negligamus, velut ad vigilantiæ incitamentum, verba illa Apostoli persæpe mente unusquisque revolvat: "Ne cum aliis prædicaverim, ipse re-

---

* De eccles. hier. c. 3. Ed. Migne Patr. Gr. III., 166 B. † Dan. xii. 3.

probus efficiar,"* quod ab unoquoque vestrum Deus avertat; ejusdem Apostoli verbis ad Timotheum vos in Domino cohortamur: "Attende tibi et doctrinæ, hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt."† *Attende tibi*, pietatem scilicet fovendo, in solidarum virtutum acquisitione sedulam operam navando, in vitiis omnibus animo eradicandis. Quæ ut facilius assequi possitis, illa nos vehementissime, pro ea qua vos complectimur Christi caritate, commendamus adjumenta quæ sanctissimis viris semper cordi fuere, quotidianam scilicet piam commentationem per mediam saltem horæ partem, et conscientiæ serotinam discussionem, quibus si piorum librorum lectiones, frequentes ad SS. Eucharistiæ Sacramentum visitationes, et Mariani Rosarii recitationem addatis, non dubitamus quin vos quotidie magis magisque in spiritu pietatis proficiatis. Verum cum ex fragilitate naturæ difficile sit ut in unius anni curriculo non labamur in multis, et animus in diversa distractus non subtepescat, ideoque omnes in Deo cohortamur ut quotannis spiritualibus exercitiis, sive domi, sive alibi, per octiduum in pio secessu vacetis ad excitandam et renovandam sacerdotii gratiam in vobis.

Attende tibi et doctrinæ, non quæ mentem inflat ad perditionem, sed quæ spiritum ædificat ad salutem, illi nempe doctrinæ quam Deus in sacris paginis nos edocet. Quandoquidem, testante Paulo: "Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus instructus"‡ quapropter nullus labatur dies quin aliquid ex sacris bibliis hauseritis; hæc perdiligenter nocturna versate manu, versate diurna, adeo ut in succum et sanguinem divina illa oracula convertatis. Quam scientiam eo vel magis in istis regionibus (valde) vobis necessariam existimamus quod non raro fortasse obsistendum vobis erit falsis doctoribus illis qui sedentes in cathedra pestilentiæ efficiunt ex verbis Dei verba malitiæ. Illud præterea commendatum summopere volumus

* I. Cor. ix. 27. † I. Tim. iv. 16. ‡ II. Tim. iii. 16, 17.

ut, quantum per tempus licet, serio vacetis studio theologiæ, tum moralis, cujus applicatio, ut probe nostis, quotidie usu venit, tum dogmaticæ et controversiarum, ne filii lucis cum sitis minus sapientes videamini quam filii tenebrarum. Demum "in omnibus præbete vos exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,—verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis." *

✠ Ego Franciscus Norbertus,† Archiepiscopus Oregonopolitanus, definiens subscripsi.

✠ Ego Aug.-Magl.-Alex.,‡ Episcopus Walla-Wallensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Mod.,§ Episcopus Vancouveriensis Insulæ, definiens subscripsi.

J. B. Z. Bolduc, Presbyter, Conc. Prov. Secretarius.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Div. Provid. PP. IX. gratias, dispensationes, facultatesque a Præsulibus expetitas benigne concessit.‖

* Tit. 2, 7, 8.

† Blanchet.

‡ Blanchet, postea (d. 31 Maii), sublata sede Walla-Wallensi, Episcopus Nesqualensis.

§ Demers.

‖ From the "Collectio Lacensis," iii., pp. 123–8.